ſperit: nemo mente aut oculis conprehendit. Vidit enim ad utrumque referendum est. Denique cum additur unigenitus filius ipse enarravit, mentium magis quam oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus enarratur. Illa oculis, haec mente conprehenditur. Sed quid de trinitate dicam? Seraphin quando voluit apparuit, et vocem eius Esaias solus audivit. Apparuit angelus et nunc praesto est, sed non videtur. Neque enim in potestate nostra est videre, sed in potestate illius apparere. Tamen et si potestas non est videndi, est gratia promerendi ut videre possimus. Ideo qui habuit gratiam meruit copiam; nos copiam non meremur, quia deum videndi gratiam non habemus. Et quid mirum si in praesenti saeculo nisi quando vult dominus non videtur? In ipsa quoque resurrectione non facile est deum videre nisi his qui corde sunt mundo; ideo beati mundo corde, ipsi enim deum videbunt. Quantos beatos iam numeraverat, et tamen videndi his deum non promiserat facultatem. Si igitur hi qui mundo sunt corde deum videbunt, utique alii non viderunt. Neque enim indigni deum videbunt, neque is qui deum videre noluerit potest deum videre. Nec in loco deus videtur, sed mundo corde; nec corporalibus oculis deus quaeritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Et cum absens putatur videtur, et cum praesens est non videtur. Denique nec apostoli omnes Christum videbant; ideo ait: Tanto tempore vobiscum sum, et adhuc me non cognovistis. Qui enim cognovit quae sit latitudo et longitudo et altitudo et profundum et supereminentem scientiae caritatem Christi, vidit et Christum, vidit et patrem. Nos enim iam secundum carnem non novimus Christum, sed secundum spiritum. Spiritus enim ante faciem nostram Christus dominus, qui nos in omnem plenitudinem dei misericordia sua implere dignetur, ut videri possit a nobis. Ideo quia apparuit Hacharię angelus ad dextris altaris incensi, et apparuit cum voluit, non apparuit quamdiu noluit. Apparuit autem ad dextris altaris incensi, quia divinę